

pacem, sed non omnes volunt operari iustitiam. Interroga omnes homines, vultis pacem. Respondent tibi, volumus, optamus, cupimus, amamus. Si pacem vis, ama iustitiam, quia iniuria amica sunt iustitia & pax. Ipsæ se inuicem osculantur. Si iustitiam, amica pacis non amaueris, non te amabit ipsa pax. Ipsa etiam mortem, quæ omnibus terribilis est, facit non timere propter mercedem, quæ iustis debetur. Bona enim est mors iusti propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. Preciosa vtiq; iustorum mors tanquam finis laborum, victoria consummatio, vitæ ianna, & perfectæ securitatis ingressus. Econtrario mors iniustorum pessima. Nam mala est in mundi amissione, peior in carnis separatione, pessima in vermis ignisque contritione. Hac quoque tribuit vnicuique, quod suum est. Si enim cupis tenere iustitiã, redde omnibus, quæ sua sunt. Superiori reuerentiam, & obediẽtiã, quarum altera cordis, altera corporis est. Aequali tribue consiliũ, quo ignorantia erudiatur, & auxiliũ, quo infirmitas adiuuetur. Inferiori autem & subiecto custodiam, vt possit cauere peccatum, & disciplinam, vt quod minus vitauit, minime maneat impunitum. Ipsa etiam principem & populorum rectorem plurimum comendabilem reddit. Nam regis iustitia est pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, fecunditas terræ, solatium pauperum, hereditas filiorum, & sibimet ipsi spes futura hereditatis. Ipsa est, quæ facit parentes, & omnia temporalia cõtinnere. Iustitia nanque virtutis splendor est maximus, quæ non nouit matrem, personam non accipit, veritatem nouit, Deum imitatur, & temporalia cuncta vilipendit. Quod enim peccatores voluptatem existimant, hoc iusti proculdubio pœnam putant. Iustus verò miranda agit, opprobria recipit, vt qui exire foras per laudes potuit, repulsus cõtumeliis ad semetipsum redeat, & eo robustius se intus in Deo solidet, quo foris minus inuenit, vbi requiescat. Hæc fructus videtur esse aliarum cardinalium virtutum. Nam propinquior esse cognoscitur mercedi iuxta illud. Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam. Saluti, sicut scriptum est. Salus animæ in sanctitate iustitiæ. Laudi, sicut dicitur de ea. Iustitia perpetua est, & immortalis. Coronæ, prout per Paulum dicitur. Reposita est mihi corona iustitiæ.

1. Re. 22.
Eccle. 30.

2. Tim. 4

*Quorū virtus iustitiæ comprehendit in se virtutes,
quæ ordinant ad proximum, ad seipsum & ad
Deum.*

C A P. V.



Non solum ex iis quæ dicta sunt, comprehenditur iustitiæ excellentia, sed etiam ex eius dilatatione. Nam generalis iustitia comprehendit virtutes ordinantes ad proximum, ad seipsum, & ad Deum, propter quod iustitia dicitur circuire omnes virtutes, & quod non tantum est virtus specialis, sed etiam generalis, comprehendens totius animæ rectitudinem, quum ipsa dicatur rectitudo voluntatis. Per iustitiam comprehenduntur virtutes ad proximum ordinantes, videlicet aequitas, quæ cui libet dar, quod suum est, quæ negligit propriam vtilitatem, vt seruet communem aequitatem. Et liberalitas, quæ est quidam animi motus faciens & approbans liberas largitiones sine spe retributionis. In ipsa autem liberalitate modus adhi-

bendus est rerum & personarum. Rerum, vt non omnia vni, sed singulis quadam præstentur, vt pluribus prodesse possint, iuxta illud Propheta. Dispersit, dedit pauperibus. Personarum, vt primum iustis, deinde peccatoribus, quibus tantum prohibemur dare, non quia homines sunt, sed quia peccatores. Comprehendit etiam virtutes, quæ ordinant ad seipsum, sicut est innocentia, quæ est in anima, quæ est integra sine peccato. Sicut enim paruulus non perseverat in iracundia, læsus non meminit mores, infans pulchram mulierem non delectatur, nec aliud cogitat, & aliud loquitur, sic & nos nisi talem habuerimus innocentiam, & puritatem, non poterimus habere veram iustitiam, quæ in regnum conducit cælorum. Ordinat quoque ad seipsum penitentia, quæ est renouatio baptismatis, emptrix humilitatis, indefinens abdicatio corporalis consolationis, filia spei, negatio desperationis, conscientiæ emendatio, voluntaria omnium tribulantium patientia, & Domini reconciliatio. Ad quæ peragendam non sufficit videns pulchram mulierem, & à malefactis recedere, nisi & de iis quæ facta sunt, satisfiat Domino per penitentiam dolorem, per humilitatis gemitum, per cõtiti cordis sacrificium, cooperatis elemosynis. Nec solum quæ ad proximum, & quæ ad seipsum, sed etiam quæ ad Deum virtutes ordinant, comprehendit iustitia, scilicet latria, pietatem, & obediẽtiã. Latria enim est cultus Deo debitus & exhibitus, vel est voluntas impediendi Deo cultum debitu. Triplex verò est cultus Deo debitus, scilicet cordis, oris, & operis. Cultus autem cordis in duobus consistit, in cognitione Dei, & in affectione cum debita subiectione. Cognitione autem ad cultum Dei pertinens est credulitas, quæ credit anima Deo sicut credendu est, scilicet per se, & à se, & super eam, sicut prima veritati credendu est. Est etiã credulitas, quæ credimus de Deo digna Deo, vt summã potetiam, summã sapientiã, summã bonitatẽ, & quod ipse est omnium bonorum creator & conseruator, mundi gubernator, hominis redemptor, seruientiũ sibi liberalissimus remunerator, & eorũ qui pertinaciter rebelles sunt, zelantissimus retributor. Affectione autem ad cultum Dei pertinentiũ vnã est timor, non qualiscunq; timor, sed quali timendus ille est, cuius potentia nullus potest resistere. Alia est spes, non qualiscunq; spes, sed qualis ponenda est in eo, cuius potentia fulcimentum est liberare ab omni miseria, cuius summã sapientiæ notissima est miseria nostra. Abyssus enim miseriæ nostræ inuocat abyssum misericordiæ illius. Alia est amor, & non qualiscunq; amor, sed quali amandus est, qui optimus est in se, & ideo omni amore dignissimus, qui est etiã fons omnium bonorum, à quo suscipimus omnia bona, quæ habemus, & quæ habuimus, & à quo nos suscepturos speramus, quicquid boni suscepturi sumus. Quisquis ergo est, qui se, qui iustitiam & Dei cultum desiderat, Deum timeat & amet, vt ab eo ametur. Tunc autem eum amabit, si in hoc ipsum imiterur, vt velit omnibus prodesse, & nulli nocere. Cultus autem oris est vocalis professio maiestatis diuinæ, quam fideles faciunt frequenter Deum orando, laudando, benedicendo, & gratias agendo. Cultus verò operis est, quum aliquis recognoscit opere singulare Dominium Dei, genuflectendo, & curuando se, sicut dicitur. Mihi curuabitur omne genu. Et alibi. Curuabo genu Deo excelsõ. Pietas autem quæ

Psal. 111

Fla. 45
Mich.